




BIBLIOTEKA  
Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVI

3210







# EPITHALAMIVM

QVO DESCRIBITVR TRIVMPHVS

VIRTVTVM IN SERENISSIMI AC POTENTISSLIMI Sigismundi Augusti Regis Poloniæ, Magni Ducis Lithuaniae, totius Brussiae Domini achæredis &c. ac Illusterrimæ Principis Catharinæ, Archiducissæ Austriae, &c. Inuitissimi ac Serenissimi Röm. Hung. & Bohe. Regis Ferdinandi, &c. filiæ nuptijs celebratus.

\*

Autore M. Bartolomeo Reisacher Carinthio ex VValtenstain.



VIENNAE AVSTRIAЕ  
excudebat Michaël Zimmermannius  
Anno M. D. LIII.

[13.975]

IOANNES REXIVS AD  
LECTOREM.

**Q**Vos legis hic thalamos, Lector quicunque, iugales,  
Iunclos esse scias sic statuente Deo.  
Non igitur quicquam tu contradicere tentes,  
Ni graue iudicium sustinuisse velis.  
Sed votis summis, sit ut hoc Regale precator  
Coniugium fælix, faustus & ad sit Hymen.  
Atque Deum implores, simili quo fædere iungi  
Regum multorum pectora sæpè queant.

XVI: Qn. 3210

TRIUMPHVS VIR-  
TVTVM IN INCLYTI AC INVIC-  
TISSIMI SIGISMUNDI AVGVSTI REGIS PO  
loniae, &c. ac Illustrissime Principis Catharinæ,  
Romanorum, &c. Regis Ferdinandi,  
Filiae nuptijs celebratus.

S Vrgit enunc iterum diuino Helicone Camœna,  
Et tulaurigeris inclyte Phœbe comis.  
En noua lux oritur, vigiles attollite ocellos.  
Quid torpent somno lumina vestra leuis?  
Ipse soporatas tenui vos tempore longo:  
Iamque situs quallent barbita, plectra tacent.  
Restaurate Chelyn, depromite plectra canora,  
Nunc resonent fidibus barbita vestra nouis.  
Et quia iam sparsit viridem per prata decorem  
Magna Deum Cybeles mater, et alma parens:  
Frondent iam syluae, dulci vitesque Lyæo  
Replentur, calidum solerotante iubar.  
Flava Ceres gremium fœcundo fœnore pandit,  
Donaque iam præbet falces secanda sua.  
Ponite nigrantes, viridantes promite vestes,  
Aptate et cœlo pallia vestra nouo.  
Neclantur byssō, gemmis auroque coruscant,  
Includat nitidas torquis adunca gulas.  
Et tu Calliope, Phœbi quæscrinnia curas,  
Cuius inexhausto flumine promis opes.

Talia dona mihi cornu quoque diuite pandas,  
Aspires vati promta & amica, rudi,  
Vngas Pierijs quæso mea tempora lymphis,  
Ni tua me foueant numina, nullus ero.  
Ecce noui thalami noua nunc Hymenæa requirunt,  
Læta igitur sacro carmina prome finu.  
O vtinam velut Andæo mihi plectra moueres,  
Et mea Peligno carmine vena fluat.  
His uam ut Augustum, sic te quoque maxime Regum  
Cantarem, & socij vincula casta thori.  
Insignes tuæ enim dotes, ac inclyta facta  
Vincunt Mæonij plectra canora Senis.  
Sed mihi quæso faue, me respice fronte benigna,  
Et placeat, quanquam fronde Poëta carens.  
Non venio spurcos Veneris lusurus amores:  
Sed recinam ecce tuo casta Hymenæa thoro.  
Virtutum de te celebres narrabo triumphos,  
Illarumque animo dona tributa tuo:  
Quæ mihi Calliope Musarum sanguine creta  
Narravit, digitis exhibuitque suis.  
Nam cùm longa meo traherem suspiria corde,  
Optans Pierio flumina fonte dari,  
Scilicet ut digno possim describere versu  
Gaudia quanta modò terra Polona ferat.  
Cùm tili deuincis, Rex ò inuictè, secundò  
Ausonidum Regis pignora charapij.  
Calliope ipsa venit, tunica velata recincta,  
Dispersis circum candida colla comis.

Os humerosque Deæ similis, vultumque nitentem  
Exornant rutilum laurea ferta caput.  
Arripit illa meam subridens blandula, dextram,  
Depromens roseis talia verba labris:  
Tristia tu cupida suspiria mente trahebas,  
Nec me, crede, tui pectoris imalatene.  
Optasti veterum pandam tibi munera vatum,  
Quæ sunt vota animi non in honesta tui:  
Regibus ut dignos possis conscribere versus,  
Et recinas tanto digna Hymenæa thoro.  
Ipsa tuis cuperem votis modo adesse benignè,  
Nec tanta infensa munera mente negem.  
Et certè, nisi sint Smyrnæo exculta lepore,  
Ni quoque ab Andæo carmina fonte fluant,  
Tantorum haud æquant Regum sublimia corda,  
Et nec dignè aliqua parte valere queunt.  
Ast hæc clausa tenet magnorum ut munera Diuūm,  
Parnassi summis clarus Apollo iugis.  
Haec tenuis haud multis data sunt hæc grandia dona,  
Non cuius dextro numine Phœbus adest.  
Est aliquid versu Regum cantare triumphos,  
Facta horum metrico stringere posse pede.  
Nec, nisi cœlestes ardenti pectore flamas  
Nutriat, insigne hoc grandeque sumat opus.  
Ergo tua iuuenis contentus viuit sorte,  
Sit canere illa tibi carmina posse satis.  
Iam tibi virtutum celebres monstrabo triumphos,  
Sumtaque de thalamo gaudia blanda nouo.

Quæ tibi materiam scribendi carmina præbent,  
Vt pateat metris area lata tuis.

Tu saltem aude aliquid, nam ausos soleo ipsa iuuare,  
Ettimidi & segnes sint mea ab arte procul.  
Et licet haud Maro sis, Regi tamen vsque placebit,  
Quod præstare ne quis re, voluisse pie.

En neque Cœlicolæ paruorum munera spernunt,  
Sint reparua licet, maxima mente tamen.

His dictis rapimur, vehimurque per aëra clarum,  
Versus quadrigas Mænalis Vrsatias.

Impetu enim facto rapidum Rex Æolus Austrum.  
Emisit, vaga qui nos ferè ad astral euat.

Venimus, apricos ubi magna Cracouia campos:  
Occupat, & virides Istula lambit agros.

Hic te virtutum innumera Rex magne caterua  
Stipatum, hic Musas cernimus, & Charites.

He cantant, saltant, hæ plausibus aëra replent,  
Hæ tangunt cytharas, organa clara, lyras,

Parte alia video celebres agitare triumphos,  
Ornare imperio splendida sceptratuo.

Quæ tulerant animi dotes, tot & inclyta dextre.  
Facta, triumphali carmine digna cani.

Has mihi Calliope cunctas ex ordine monstrat,  
Dicens illarum nomina, quidue velint.

Prima inter reliquas sublimi Astræa triumpho  
Inuehitur, vultu Martia, blandata men.

Gestabat sceptrum, crines diademate cincta,  
Gemmis ac auro, & duro adamante micans.

A

*A latere hanc binæ comitantur utroque sorores,*

*Illa tenet gladium fulmineum, illa librum.*

*Has rursum binæque sequuntur in ordine Nymphæ,*

*Hæc laqueum rigidum, hæc lilia blanda gerit.*

*Nympham aliam Cathaphractorum numerosa caterua*

*Consequitur, telis, fustibus, ens et ruci.*

*Astrææ sociam adiungit se Andrea virili,*

*Corpore, magnanimis veclæ leone fero.*

*Belligera Heroum stipata phalangetriumphat.*

*Hic fuit Æacides, Troicus atque Gygas.*

*Amphytrioniades, Cocles, & Romulus ipse,*

*M. inlius & Crassus, cum Scipione Cathe.*

*Hic Milo gestabat prægrandi ponderetaurum,*

*Ne classo titubat lubrica planta pede.*

*Et reliqui innumeri, quorum si nomina narrem,*

*In magnam carmen cresceret Iliaden.*

*Illi succedit Pallas cum vulpe dolosa,*

*Quæ simul ingenio, Martio & ære micat.*

*Psittacus in dextra que, humanæ auis emula linguae,*

*Sedit, hic in structo gutture Chære sonat.*

*Quam Liertiæ destacitè comitatur Vlysses,*

*Astu Mauorti subdolus, atque sagax.*

*Palladis applicuit lateri Prudentia bifrons,*

*Extendens oculos antè retroque vagos.*

*Omnia perpendens, vigili cura omnia lustrans,*

*Nec quicquam hanc aliqua parte latere potest.*

*Baltheus huic fuerat nexus serpentibus atris,*

*Illorum manibus sibila colla premit.*

*Hinc*

Hinc quoque treis video præstanti corpore Nymphas,  
Iunætas æquali vinclo, & amore pari.  
Sophrosine viuax, castoqué Agnæa pudore,  
Sobrietas ebrio valde inimica Deo.  
Sophrosine reliquis vires virtutibus addit,  
Quæ vitia ex animo est pellere docta leui.  
Hæc veluti Princeps, Dux & Regina triumphans  
Incedit, virtus qua sine nulla valet.  
Læta gerit ruptos Agnæa Cupidinis arcus,  
Illiis ante pedes spicula fracta iacent.  
Candida sobrietas forma atque colore refulgens,  
Disjicit Æmonio pocula plena mero.  
Pocula conculcat concussa cantharus aluo,  
In cæno ecce iacet terra meroque madet.  
Cælic Alithæa has vultu comitatur aperto,  
Infracta reprimens cuncta pericla manu.  
Hæc nuda incedit, nullo velataque amictu,  
Sub viridi saltem fronde pudenda latent.  
Protinus æthereo subitum fit fulgur ab axe,  
Lumine caligans lumina nostra suo.  
Ut puto non aliœ, quam cùmpia numina Saulum  
Concuterent verire religione Dei.  
Pronus humi iaceo, ac erectum ad sidera vultum,  
Hac tam terribilit tollere luce vetor.  
Sed me Calliope vera ratione gubernans,  
Erigit, erectum tollit humoque caput.  
Descendit Pietas superum comitante phalange,  
Angelico cæli ex arce volante choro.

*Curram insedit onans, cœlestes vndique in orbem,  
Diffundens radios, luce fideque sacra.  
Quam quatuor forti vectant animalia traectu,  
Altiuolans Aquila, & Taurus, homo atque Leo.  
Vexillum volitans, niueo rubeoque colore  
Dissectum, erecta dextera ad astra leuat.  
Parte vna picta est veteris serpentis imago,  
Parte alia passi crux veneranda Dei.  
Huic omnes reliquæ cedunt ex ordine Nymphæ,  
Virtutes, Charites, Pieriusque chorus.  
Illiū sacrum numen reuerenter adorant,  
Seruire huic cupiunt, huic obedire volunt.  
Hinc Iuno atque Venus, Musæ, Charitesque sequuntur,  
Gestantes manibus splendida dona suis.  
Gestabant thalamum Venus & Lucina iugalem,  
Auro fulgentem, duro adamante glabrum.  
Quem super ambosiam spargunt, cœlestèque nectar,  
Quod misit supero Iuppiter ipse polo.  
Tres Charites lætæ plaudunt lauro sub opaca,  
Cuius fronde gemit turtur ab aëria.  
Euphrosine cytharam candenti pollice tangit,  
Connectit virides pulchra Thalæa rosas,  
Blanda puellares agitatque Aglaia choreas,  
Argutos cytharæ ponè sequitæ sonos.  
Miror ego tantos stupefacta mente triumphos,  
Miror Virtutum Pieridumque choros.  
Tu mihi Calliope quæso hæc mysteria pandas,  
In quio: at illa mihi blandula dixit, erit.*

Ecce triumphantes vidisti ex ordine Nymphas,  
Quæ tulerint manibus splendida dona suis.  
Audi igitur, quæ sit tam clari causa triumphi,  
Hæc quid significant munera, quidue velint.  
His, vbi nunc stamus, residet Rex magnus in oris,  
Sceptra Europæ Sarmatiæ ampla gerens.  
Huius res agitur, tantos hos ille triumphos  
Virtutum, Charitum, Pieridumque ciet.  
Qui Regem Ausonium copulat sibi fædere sancto,  
Huius habens thalamo pignora iuncta suo.  
Nam prior Elisabeth vinclo huic sociata iugali,  
Mutauit supero hæc terrea regna polo.  
Hanc gemit, ut cernis, lauro nunc turtur opaca,  
Et queritur Stygij fata maligna Dei.  
Quæ (ab dolor) ante diem & primis vernantibus annis,  
Interit, & rapidis vermbus esca datur.  
Iungitur huic iterum casta atque serena secundò  
Nympha, inter superas connumeranda Deas.  
Mantua quam nouit quondam Dominamque, Duce m̄q;  
Archiducem nouit quam Austria clara suam.  
Illi connectunt Charites nunc florida ferta,  
His gestant cultum Iuno Venusque thorum.  
(Casta est illa Venus, sincera pudore, nec illa  
Quæ cremat Idalia pectora cœca face.)  
Nectaræ quam spargunt dulci, ambrosiaque salubri,  
Ne sit in hoc sancto fædere vita breuis.  
Hanc immortalē clementi numine ducant,  
Sed quantum hoc fluido ducere in orbem datum est,

Sit

Sit iucunda, hilaris, longum viridisque per aevum,  
Hinc procul & Parcae, & tristis Erynnis eat.  
Occulta ut Charitum haec etiam mysteria monstrant,  
Haec Cythara, haec pedibus ludit, at illa rosis:  
Iucundam cytharæ resonæ, lætamque Choræ,  
Sed viridem, & vegetam, dat rosa iuncta rosæ.  
Aureus est thalamus, duro lœuisque adamante.  
En mysterium habent aurum adamasque suum.  
Nam quid in hoc mundo fuluo est preciosius auro?  
Durius an solido est quicquam adamante? nihil.  
Longè aurum at superat pietas candorque serenus,  
Quo Regis clare mens decorata micat.  
Vitam adamas castam signat sanctumque pudorem:  
Firmior est etenim duro adamante pudor.  
Ecce quoque inuehitur solenni Astræa triumpho,  
Ut Reginam an Gemmea sceptra tenens.  
Nam quid maius ea est, hoc quidue potentius orbe?  
Haec nisi sit ruerent res hominum atque Deum.  
Illa regit mundum, iusta librat omnia lance,  
Haec hominum mores non sinit esse feros.  
Regna illi parent, Regem quoque dirigit: illa  
Si careat, non Rex, immò tyrannus erit.  
Fulmineus gladius designat bella cruenta,  
Tranquillas leges indicat ipse liber.  
Iungere namque decet Regem cum legibus arma,  
Iungat legiferum cum pugili ense librum.  
Ut sine in diros hostes sint bella mouenda,  
Seu rursum placida viuere pace datur.

Semper

Semper sit promptus, sit tempore veroque piratus,  
Æquus sit rigidus legibus, ense minax.  
Quod quoque significant laqueus, tum liliablanda,  
Quæ sunt iusticiæ munera binasacrae:  
Ut leges strictas prudenter mitiget æquo,  
Corrigat arbitrio vir bonus hasce suo.  
Diuinam Astræam sequitur recto ordine fortis  
Andrea, infra dicto robore cuncta valens:  
Vnde etiam fulvo inuenit præclarum leone,  
Nulla quod intrepida mente periclitatim.  
Semper sublimi crudeles irruat hostes  
Marte, sit & fædæ nescia planta fugæ.  
Hæc auget vires, præcelso pectore Reges  
Euehit: horum inquam tollit ad astra caput.  
Hanc igitur veteres Heroës ritè sequuntur,  
Patrantes manibus fortia facta suis.  
Immortale quibus cœlo statuere trophyum,  
Quorum nomina adhuc non moritura vigent.  
His etiam merito, trutinat quis ceptra Polona  
Inclyta, Sigismundus connumerandus erit.  
Tartaro enim cæso quot rettulit ille triumphos?  
Quot statuit gladio clara trophya suo?  
Non minor Æacide est duro, viætricibus armis,  
Nec minor Æolide est calliditate duce.  
Ceda huic Asopiades, & Gnosius Heros,  
Iusticia, placida dux pietate Phrygum.  
His si Andrea caret temerè arma mouendo cruenta,  
Non erit hæc virtus, barbarus immò furor.

Hinc

Hinc Pallas sequitur docta, & Prudentia bifrons,  
Iunctæ perpetuo fædere, amore pari.  
Pallas habet vulpem, vulpem decet esse sagacem,  
Qui tenet imperio subdita regna suo.  
Sunt etenim multi, Dominos qui mente dolosa  
Laetant, dant fel, quod mel tamen esse putas.  
Hos introspiciatque, hos intus & in cute noscat,  
Rex, nec eum lateat frausue dolusue malus.  
Obuiet ille dolis, prudenti mentem malignis,  
Obuiet, & propria hoc comprimat arte malum.  
Sit varijs linguis (vt tu Rex magne Poloni  
Imperij) instructus, Psittacus idque refert,  
Quem tenet in dextra Pallas fulgentibus armis.  
Quiquesuum instructo gutture Chæresonat.  
Sit bifrons semper vigili cura omnia lustrans,  
Extendat frontem tum retrò, tum antè suam.  
Cùm nox cœca nigris cœlum occultauerit alis,  
Clauferit atque hominum lumina somnus iners,  
Ignauum pellat vigilanti mente soporem,  
Expendat sceptrum qua ratione gerat.  
Sic pius Æneas per noctem plurima voluens,  
Versabat populi commoda mentes sui.  
Balcheus huic quoque sit nexus serpentibus atris,  
Comprimat ille sua sibila colla manu.  
Cœca voluptatum procul arceat usque venena,  
Sit veluti serpens auribus ergo suis.  
Carmina huic etenim, Stygio si flumine tincta,  
Cyrcae cantat Colchicus arte magus:

Comprimit & cauda, & terra, benè prouidus aures,  
Ne hæc audita sibi forte nocere queant.  
Sic quoque Rex faciat, fragilis si & spurca voluptas  
Mulcit delicijs pectora cæca suis.  
Sirenum scopulos nam sic superauit Vlysses,  
Huius cum claudit tempora cæratenax.  
Vnde etiam reliquæ tres ordine ritè sorores  
Succedunt, quæ hominum pectora cæcaleuant.  
Illæ agitant victo sublimes de hoste triumphos,  
Illi pedibus munera fæda terunt.  
Bacchum Sobrietas, Agnæ a cupidinis arcum,  
Virtutes omnes Sophrosyne ipsa iuuat.  
Inde & Alithæa incedit, syncera & aperta,  
Non enim hæc falso corde latere potest.  
Simplex & nuda est, mendacis nescia fuci,  
Quamque maligno animo rumpere nemo poterit  
Illa decet Regem, sit Rex illius amator,  
Arceat è regno subdola labra suo.  
Hinc etiam Pietas cælo demittitur alto,  
Effundens sacro cælica dona sinu,  
Territat ipsa oculos rutilanti fulgure nostros,  
Nec splendorem huius lumina nostra ferunt.  
Namque suo irradiat mentes si numine nostras,  
Nil sensus lubrici, nil ratio ipsa valet.  
Præcones quatuor bis bina animalia signant,  
Qui tulerant verbi nuncia lœta sacri.  
Sancta ab ijs vehitur Pietas, his discitur ipsa,  
Hic est doctrinæ fons, & origo, piæ.

Vexillum

Vexillum niueo scissum est, rubeoque colore,  
Et veterem legem signat id, atque nouam.  
Namque vetus rubeo semper lex sanguine abundat,  
Cordaque tartareo nostra cruore limit.  
Sed noua nos recreat, Stygioque cruore repurgat,  
Corda creans tenera candidiora niue.  
Indicat hoc etiam veteris serpentis imago,  
Depicta Christi crux veneranda Dei.  
Huic meritò reliquæ cedunt ex ordine Nymphæ,  
Reginam agnoscunt hanc, Dominam, atque Ducem.  
Isthæc sola potest nos cœlica ad astral euare,  
Sola Deum vera religione docet.  
Virtutes reliquæ trutinantque reguntque caduca,  
Vtque sit in statu ciuica vita bono.  
Hanc certè nouit Scytica Rex magnus in Arcto,  
Cui statuunt istæ letatrophæa Deæ:  
Non etenim tantos est dedita triumphos,  
Ipsa sed ætherea fulgida ab arce venit.  
Hunc mihi Calliope celebrem clarumque triumphum,  
Rettulit, hunc digitis exhibuitque suis,  
Quam tibi conueniunt? tua quo Rex Magne colore  
Depinxit viuore regna, manum, ingenium?  
Sed quam te memorem? quo te nunc carmine sponsa  
Collaudem? anné at auos, enumerem vel auos?  
An patrem? an fratres? alios vel sanguine iunctos?  
Matris an è calamo funera mœsta fluant?  
An recinam thalami modò vincula casta prioris?  
Quæ mors dissecut pallida falce truci.

An vitam? an mores? virtuteque pectora plena?

Describam? formæ dona decora tuæ?

Est tibi Rex genitor, toti notissimus orbi,

Notus in occasu, notus Eoë tibi.

Quem nouit Garamas, quem nouit Parrhasis Ursa,

Quem nouit Regem Roma superbasum.

Est tibi Rex frater, cui parent Regna Bohema,

Qui tenet & sceptrum Pannonis oratum.

Sunt tibi & Archiduces, fortissima pectora, fratres,

Quorum armis quondam Turcica castra cadent.

Quid patruum memorem? similis ne huic viuit in orbe?

Sceptro, sublimi pectori, Marte, manu?

Ipse etenim quoties tumidos pergebat in hostes,

Pugnat, & in uicto Marte trophæa refert.

Terror erat Turcis, populisque rebellibus horror,

Expandit sceptrum in climata cuncta potens.

Enumerem matrem? veteris sed acerba doloris,

Vulnera quid quæso refricuisse iuuat?

Quæ fuerit Mater, nouit miser ipse popellus,

Tuta cui semper turris & arafuit.

Quam Anna Dei matris Mater, sancta atque pudica,

Adiunxit sociam nomine reque sibi.

Fœdera coniugij quis nescit sancta prioris?

Quis nescit famam Mantua clara tuam?

Ast animi dotes, virtus, & splendida forma,

Vincant ecce tuam maxime Homere lyram.

Cedit Penelope intaclo tibi casta pudore,

Concedit formam Tyndaris ipsa suam.

Inte non equidem hæc contraria dona repugnant,  
Conueniunt elegans forma, pudorque sacer.  
Nunc plaudere ergo tuæ lætus Rex inclyte sponsæ,  
Tyndaris illa tibi est, Penelopeque simul.  
Collauda supero diuinum numen olympos,  
Suspice clementis munera tanta Dei.  
Ipse tuost thalamos fuitque, fouetque iugales,  
Quæ fuit affinis, iam quoque sponsa tibi est.  
Sponsa pudicata tibi est, vas electumque sacrarum  
Virtutum, Charites pectora sacra colunt.  
Rite quoque illa suo Catharina est nomine dicta,  
Quam benè conueniunt nominaresque simul.  
Fernandi hæc Regis fuit altera filia Costi,  
Sunt regali igitur stirpe, fideque, pares.  
Costi illud nomen meruit Catharina pudore,  
Quod fuerit vitijs pura, animoque sacro.  
Hoc quoque Fernandi nomen Catharina pudore  
Sortita est, puro corde, animoque sacro  
Plaudimus ergo nouo thalamo Rex magne iugali,  
Carminibus resonant guttura nostra nouis.  
Lætantur Musæ festiva Hymenæa canentes,  
Persoluunt summo debita vota Deo.  
Lætantur pueri, iuvenes, & curua senectus,  
Grandia gratifice murmure templa replent.  
Fulmine sulphureo reboans bombarda tonitru,  
Cum vomit, ecce urbis mœnia celsa tremunt.  
Ecce sonant campi, lituus taratanta racentat,  
Fortiaque armato pectora Marte ciet.

Illi concurrunt hastis nunc ordine equestri,  
Pingue quadrupedumque vngula pulsat humum.  
Nunc pedites certant, armis galeaque corusci,  
Tentantes forti prælia ficta manu.  
Nunc infracto aliquis certabit Marte Polonus,  
Excipietque iætus Martia pelta graues.  
Pars agiles vegetoque exercet corpore vires,  
Ille studet celeri præmia ferre pede.  
Hic Cytharam plectro, digitis hic organa tangit,  
Ille canit lædis carmina festa modis.  
Plaudo quoque ipse tibi, & si quid mea carmina possunt,  
In calatum hæc imo pectora vota fluunt.  
O Deus æthereo resides qui summus Olympo,  
Qui calcas pedibus terrea regnatus.  
Qui regis atque foues magnorum pectora Regum,  
Illi ex arbitrio, stantque, caduntque tuo.  
Hos etiam thalamos foueasque regasque benignè,  
Omnia propitio numine pelle mala.  
Hæc quæso tribuas illis cœlestia dona,  
Quæ nequeunt ulli, te nisi dante, dari.  
Antea sublimem, volitentque per aera pisces,  
Etleuis æquoreas permeet ales aquas,  
Graminibus careat tellus, & fidere cœlum,  
Ante tua & nobis lumina Phœbe neges,  
Quam mors fataliter crudelis, & arcu,  
Disrumpat sancta hæc vincula falce truci.  
Nestoreos ducant, syncero turrum amore,  
Fælices sceptro, in sæcula mille dies.


Gracche


Gracche, tuos Rex (at fatis melioribus) ignes  
Vincat, ob uxorem funera qui atra subis.  
Atque tuos Plauti stricto qui te ense necasti,  
Coniugis ob mortem, tecremat ignis edax.  
Qualis erat pius in dilectum Portia Brutum,  
Sponsa tuum in Regem sit quoque talis amor.  
Magnanimem & fortem regno producite prolem,  
Prolem, quæ quondam sceptra Polonæ regat.  
Fælices ergo, & regno sic este beati,  
Cognoscant superi nomina vestra Dij.  
Si que fecent quondam fatalia stamina Parcae,  
Detur cœlesti lumine posse frui.  
Ut sic quæ patulum extendistis sceptra per orbem,  
Transcendant magni sidera celsa poli.

FINIS.



8105  
5





8105  
50

